

dicta ab Episcopo promulgata, tum dies festos in Ecclesii suorum Ordinum servare debent, atque etiam ad publicas processiones accedere, iis tantum Monachis exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in suis Ecclesias custodire possunt: eis tamen non licet publice fidelium venerationi exponere, nisi ex causa publica et ab Episcopo adprobata: possunt tamen privata de causa, dummodo e tabernaculo non extrahatur, et ita velo sit tectum ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. Praeterea Sacra Eucharistiam die Paschatis administrare nequeunt, ne iis quidem qui illam jam a proprio Parocho acceperint, nisi fuerint de eorumdem Regularium familia. Itemque SS^{ma} Viatici et Extremae Unctionis Sacraenta iis tantum administrare possunt qui sint de Coenobii familia: neque novas reliquias, aut insolitas Imagines exponere sine adprobatione Episcopi, neque nova miracula novasque indulgentias promulgare audeant sine ipsius Episcopi recognitione et adprobatione. Concil. Trid. sess. 25 de Invocat. Sanctorum.

In reliquis autem quae ad disciplinam domesticam, observantiam regularum et votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coercitiones Religiosorum pertinent, nequit Episcopus sese immiscere.

CAPUT V.

DE ELECTIONIBUS.

§ 33.

DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM.

Hactenus de singulis Clericorum gradibus, eorumque iuribus et officiis disseruimus. Postulat nunc instituti nostri

§ XXXIII. DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM. 53

ratio, ut videamus quemadmodum ad eos Ecclesiae gradus et dignitates perveniatur. Jam vero primi gradus in hierarchia jurisdictionis, videlicet Summus Pontificatus, Episcopatus et Praelatura Regulares et Saeculares per electionem obtinentur; inferiores hierarchiae gradus per collationem Beneficiorum tribuuntur; potestas vero ordinis per consecrationem, aut sacram Ordinationem confertur. Primum itaque de Electionibus, tum de Sacris Ordinationibus enucleate videamus, nam de Beneficiorum collationibus proximo libro dicendum est. Verumtamen cum de novo et veteri eligendi Pontificis disciplina dictum sit in Jure publico Ecclesiastico, reliquum est ut hoc loco de electione Episcoporum et Praelatorum Regularium agamus.

Jam usque a primis Ecclesiae saeculis Episcoporum electiones a Provinciae Episcopis, Clero, et Christiana Plebe suffragantibus celebrabantur. Sed Populus Christianus in Ministrorum electione suffragatus est indulgentia Ecclesiae, cum hujusmodi electiones jure divino ad plebem non pertineant, quod duabus distinctis propositionibus late probat Nat. Alexander in Histor. Eccles. saec. I dissertat. 8. Spectabat haec disciplina, tum ut indigni quorum vitia plebem latere haud possunt, ab Episcopatu arcerentur, et optimi quique ac vulgo probati eligerentur. Huc pertinet illud Cypriani ep. 68: « Episcopus diligatur plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit; » tum etiam ut populus suum de persona eligenda desiderium et votum exprimeret, seu ne invito populo daretur Episcopus. « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebis expediti, » ut ait S. Leo Magnus, ep. ad Rusticum cap. 4.

Jam vero ubi Cleri et Populi testimonium ac votum de persona eligenda inter se convenissent, praecepua et summa in eo negotio auctoritas penes Episcopos erat, ad quos tanquam legitimos judices et electores electio proprie spectabat.

Itaque si Clerus et populus aliquem minus idoneum designassent, eumdem rejicere integrum Episcopis erat, quos docere populum, non sequi oportere, tradidit Coelestinus I can. 2 dist. 62; idcirco Nicaeni Patres can. 4 quem refert Gratianus can. 1 dist. 64 maxime optabant, ut hujusmodi electionibus omnes Provinciae Episcopi adessent, aut tres saltem, si aut urgens necessitas, aut itineris longitudine obstat, quominus singuli interessent. Verum inter Episcopos praecipua fuit auctoritas Metropolitae, ita ut citra ejus presentiam vel assensum electio fieri nequiret; imo ab errantibus Episcoporum judiciis, aut inter se dissidentibus Metropolitae sententia quaestionem dissolvebat.

Nunc immutata veteri disciplina, de ea quae modo viget dicendum est. Illud autem praemonendum, formam et rationem, quae pro Episcoporum tum electione, tum creatione praestituae sunt, omnino servari oportere; secus enim actus omnes non rati neque legitimi, sed irriti infectique habendi erunt: eas itaque disciplinae leges toto hoc Capite distincte explicabimus. Quaestiones tamen juris, videlicet an et quibus ius et potestas tum erigendorum Episcopatum, tum creandorum Episcoporum a Christo Domino data sit, hic praeterimus quoniam de utraque quaestione satis dictum est in Jure Ecclesiastico publ. § 27 et 28, planeque demonstratum nullum esse legitimum Episcopum sine Apostolicae sedis auctoritate.

§ 34.

DE ELECTORIBUS EPISCOPORUM.

Personarum de quibus in electione habenda ratio est, quedam eligunt, quedam eleguntur. Dicendum est primo loco de iis qui eligunt. Jus eligendi Episcopum ad solum Cathedralis Ecclesiae Capitulum jure communi pertinet, sed jure speciali, consuetudine scilicet, pacto, vel privilegio, alii

§ XXXIV. DE ELECTORIBUS EPISCOPORUM. 57

etiam Clerici qui ex gremio Capituli non sint, jure eligendi potiri possunt. Itaque vocandi sunt omnes, qui eligendi jus habent, et possunt interesse, sive in provincia praesentes, sive absentes, et si quis contemnatur, aut opportune non vocetur, poterit de contemptu agere, ut electio irrita habeatur, cap. 36 de Elect. Si qui autem vel incertis, vel nimium dissitis in locis versentur, aut si periculum aliquod esset in mora, eis non vocatis recte fieri electio potest, cap. 28 eod., tum quia vocatio aut inutilis esset aut impossibilis, tum quia privatis juribus publicum bonum praferendum est. Qui vero vocati sunt, alterum agant necesse est, aut accedant, aut juri ferendi suffragii renuntient; neque enim fas est per litteras suffragium ferre, cap. 46 hoc tit. in 6. Ii tantum qui ex justa causa accedere nequeant, possunt suffragium suum uni ex ipso Capitulo demandare, aut etiam extraneum ex consensu ipsius Capituli procuratorem sibi constituere. Procurator autem si de gremio Capituli sit, non potest anticipi conscientia alium suo, alium principalis nomine eligere, cum dignorem unum eligere teneatur, nisi mandatum speciale ad certam personam eligendam traditum sit, cap. eod. § Porro.

Caeterum ab electione facienda aliqui removentur vel impedimento naturae, vel impedimento legis: impedimento naturae arcentur furiosi, mente capti, et omnes consilii et rationis inopes, cap. 22 eod.; impedimento autem legis removentur impuberis, Subdiaconatus Ordini nondum initiati, excommunicatione majori excommunicati, infames infamia juris, ab officio suspensi, quique ne elegant personaliter interdicti sunt. Praeterea laicos ad suffragium ferendum excipientes, indignum eligentes, intra tempus a jure definitum operam electioni non dantes, aut canonicam formam non observantes, jure eligendi pro una et prima vice privantur, et jus ipsum reliquis Canonicis accrescit: quod si Canonici omnes deliquerint, ad proximum Superiorem devolvitur.

At vero celebrari electio debet in Ecclesia Cathedrali, aut

alio decenti et honesto loco, ut res ita postulare videtur. Jure Decretalium electio Episcopi infra tres menses a die vacatio-
nis celebranda est, cap. 41 de Elect. idque aut per scrutinium,
aut per compromissum, aut per inspirationem.

De forma electionis per scrutinium haec habentur cap. Quia PROPTER 42 de Elect. « Quia propter diversas electionum for-
mas, quas quidam invenire cogantur, et multa impedimenta
proveniunt et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis,
statuimus ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus om-
nibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse,
assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete et sigilla-
tum vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta
mox publicent in communि, nullo prorsus appellationis obsta-
culo interjecto, ut is collatione habita eligatur, in quem om-
nes, vel major et senior pars Capituli consentit. » Et cap. 2
de Elect, in 6 haec sunt animadversione digna : « In electio-
nibus et postulationibus ac scrutiniis, ex quibus jus oritur
eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus
reprobamus, statuentes ut hujusmodi votis pro non abjectis
habitibus, ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum
qui non pure consenserint, ea vice in alios recidente. » .

Si vero numeratis suffragiis nemo a majori parte Capituli
electus inveniatur, aut iteranda electio quad majora suffragia
in unum consenserint, aut res componenda est per compro-
missum, quod sit quando ab universo Capitulo, nemine dis-
crepante, electio arbitrio paucorum Capitularium vel etiam
extraneorum committitur, cap. 2 et seqq. de Elect.

Denique sit per inspirationem, quum Electores omnes, ne-
mine repugnante, in loco solito congregati, quasi divino spi-
ritu ducti in unum consentiunt, cap. 43 de Elect.

§ 35.

DE PERSONIS ELIGENDIS.

Electores tum ex Sacris Canonibus, tum ipso jure naturali
tenentur eo meliori modo quo fieri possit, communi bono
atque utilitati Ecclesiae providere, atque adeo inter plures
dignos dignior eligendus est. Attamen electio minus digni
subsistit, dummodo indignus non sit, secus enim nulla electio
tuta esset, cum perpetuae disceptationes de majori vel minori
dignitate excitarentur. Indignus autem dicitur, qui aut doti-
bus instructus non est quas Canones in Episcopo postulant,
aut aliquo impedimento affectus, propter quod aditus ad Epi-
scopatum intercludatur. Itaque Canones has dotes in Episcopo
flagitant : 1 AEtatis maturitatem, nempe triginta annos absolu-
tos. 2 Morum et fidei integritatem : mores sint oportet,
quos designat Apostolus I^a ad Timot. cap. 1 et ad Titum cap.
1 et 2. : Religio autem adeo integra esse debet, ut non modo
haeretici eorumque receptores, fautores et defensores, verum
etiam ipsorum filii, licet catholici usque ad secundam gene-
rationem ex linea paterna, et ad primam ex linea materna
eligi nequeant, nisi parentes ante mortem poenituerit, et ite-
rum in Ecclesiae Catholicae communionem fuerint cooptati,
cap. STATUTUM 15 de Haer. in 6. 3. Scientiam litterarum, si-
quidem ex Concilio Trid. sess. 22 de Reform. cap. 2, « necesse
est ut Episcopus eligendus in aliqua universitate studiorum
magister sive doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia vel
jure Canonico, merito sit promotus, aut publico saltem ali-
cujus Academiae testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur. » 4. Denique Ordinem Sacrum, quandoquidem ad
Episcopatum assumendus saltem sex ante menses quam eli-
gatur, in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutus sit oportet.
Ratione impedimenti seu vitii indigni sunt, atque adeo eligi

nequeunt irregulares omnes, sive irregularitas ex defectu, sive ex delicto proficiscatur.

§ 36.

DE EFFECTU ELECTIONIS.

Electionem canonice factam multa consequuntur. Aliqua Capitulum spectant, quorum primum est quod electione publicata variare nequeat, seu factae electionis poenitere: secundum est quod electores intra octo dies electionem praesentare electo debeant, ejusque consensum petere. Quaedam spectant electum ipsum, et primo electo mensis ad deliberandum datur, an dignitatem sibi delatam acceptare velit, an eidem renuntiare, quo tempore elapsa si renuntiaverit aut non consenserit, jus omne amittit ex electione quaesitum, et ad aliam electionem via aperitur. 2. Si electus assentiatur, jus ad rem acquirit, seu ad obtinendam dignitatem ad quam electus est, atque adeo matrimonium spirituale cum Ecclesia inchoatur. 3. A die consensus praestiti iter ad Apostolicam Sedem intra mensem arripere debet si commode fieri possit, et intra tres menses confirmationem postulare. 4. Denique ante impetratam confirmationem jus non est electo se immiscere negotiis ullis Episcopatus, secus enim jure per electionem quaesito excidet, omniaque ab eo gesta nullius momenti et roboris sunt, et indignus evadit qui in posterum eligatur, cap. AVARITIA 5 de Elect. in 6°, et Extravag. INJUNCTAE eodem tit. inter comm.

Sed nonnulli Canonistae in vim capituli NIHIL 44 de Elect. putant, Episcopos extra Italiam constitutos et valde remotos, dummodo in concordia electi sint, administrationem Ecclesiae suscipere ante confirmationem posse, non quidem jure proprio, sed dispensatione Pontificis, quod constat ex verbis ipsius capituli, ubi Pontifex « dispensative, ait, propter necessi-

§ XXXVII. DE POSTULATIONE.

61

tates Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent: et sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. » Quanquam autem de speciali illius capituli indulgentia per Canones et Constitutiones posteriores nihil admotum derogatum esset, illud tamen certum est quod locum habeat in solis electionibus concorditer celebratis, qua nempe in re consensio omnium suffragiorum putanda est luctucentissimum de electi meritis argumentum.

Passerinus in tractat. de Elect. cap. 33 putat dictum caput NIHIL penitus antiquatum esse; sed veterem consuetudinem ubi viget, vim legis obtainere, ut administrare electo liceat, antequam confirmetur. Panormitanus etiam in idem caput n. 40 eamdem sententiam habet, sed ejus mentem sic interpretatur Engel in Collegio universi Jur. Can. tit. 6 n. 54: « Panormitanus loquitur de inferioribus dignitatibus et beneficiis, nam in majoribus Praelaturis, ubi majus est periculum, ne indignus vel simoniacus cum damno et scandalo Ecclesiae eligatur non putarem talem consuetudinem fore rationabilem. » At plerique Doctores affirmant Episcopum electum administrare posse, si electus sit in concordia, et si in ea Ecclesia vel regione vigeat antiqua consuetudo administrandi.

Episcopi vero aut a Summo Pontifice, aut a Regibus nominati, quandoquidem idem caput NIHIL ad eos non pertinet, vetantur omnino ad suas Ecclesias ante confirmationem vel Bullas Apostolicas accedere, vel ipsarum administrationem ullam suspicere.

§ 37.

DE POSTULATIONE.

Si forte contigerit, ut qui Ecclesiae utilissimus fore videatur, ob defectum aliquem aut canonicum impedimentum eligi nequeat, tum electoribus extraordinarium praesidium datur, nimirum postulatio per quam ejusdem impedimenti remissio

apud Superiorem postulatur. Duplex est postulatio, simplex et solemnis. Simplex est petitio apud Superiorem, ut consentiat in electionem ejus qui suae potestati subest, veluti si Monachum eligere velis, opus est venia sui Abbatis: quae quidem non vera et propria postulatio est, dum persona hoc modo postulanda nullo canonico impedimento teneatur, quo minus eligi possit, sed potius electio est quam nequit electus sine venia Superioris acceptare. Solemnis et vera postulatio est, dum a Romano Pontifice petitur, ut ex indulgentia et dispensatione in Episcopum assumat qui per Canones eligi nequit. Itaque postulatio et quaedam dispensationis species a Superiore petita, unde satis intelligitur impedimentum ejus generis esse oportere, super quo Pontifex dispensare possit et soleat, qualis est defectus natalium, aetatis, ordinis, libertatis ob vinculum spirituale cum alia Ecclesia, et hujusmodi.

Ex quibus perspicuum est postulationem duobus absolvi, scilicet postulantium suffragiis, et Pontificis auctoritate. Forma postulationis eadem est atque electionis, fitque communiter per scrutinium, aut compromissum, neque concordia suffragiorum poscit, sed electoribus diversas personas postulantibus ejus postulatio valet qui mejora suffragia obtinuerit: majora vero intelligimus quae dimidium omnium suffragiorum superent. Non minus enim in postulatione quam in electione major numerus suffragiorum computatur respectu omnium eligentium, non respectu electorum quibus aliqua forte suffragia obtigerunt. At si postulatio cum electione concurrat, si videlicet pars postulaverit, pars elegerit, tum postulatio electioni praefertur, cum numerus postulantium duplo excedit numerum eligentium, cap. 40 de Election. : velut ex viginti quatuor suffragantibus in sexdecim postulent, et octo eligant, postulatio vincit. Contra vero electio postulationi praefertur, si suffragia quae favent electo, medietatem excedant. Qua super re si quis plura desideret, conferat clarissimum Neller in collectione methodica Sacrorum Canonum de Elect. Praelat.

Quod vero spectat ad Pontificis auctoritatem, integrum eidem est postulationem non admittere, quia magis est gratiae, quam justitiae dispensationem super impedimentis indulgere, unde illud etiam intelligitur, quod postulatus ante admissam postulationem nullum jus acquirat, et re adhuc integra, hoc est postulatione Pontifici nondum oblata, Capitulum potest se poenitere, et concilium mutare. Admittitur autem postulatio praevia cognitione causae, qua inquiritur utrum postulatio sit canonica, quibus impedimentis postulatus laboret, itemque num adsit justa causa dispensationis concedendae. Sed postulatione admissa locus est confirmationi, de qua mox dicendum erit.

§ 38.

DE REGIA NOMINATIONE.

Episcoporum electiones paulatim sublatae sunt, Episcopatum collationibus ad Sedem Apostolicam revocatis. Primus Clemens V Ecclesias Cathedrales, quae tempore si Pontificatus apud Sedem Apostolicam vacarent, sibi reservavit, mox Joannes XXII, Benedictus XII et Paulus II alias novas reservationes induxerunt, deinceps vero Pontifices alii editis Cancellariae regulis Ecclesias omnes Cathedrales sibi reservarunt, ut eisdem optimos Episcopos praeficerent. Verum cum eam rem Capitula et Reges ipsi aegre ferrent, bono pacis factum est, ut Apostolicis Indultis, aut pactis conventis electiones Episcoporum aliquibus Capitulis restituerentur, et etiam Catholicis Regibus privilegium nominandi Episcopos pro omnibus aut aliquibus Ecclesiis tribueretur, ea tamen lege ut electiones, seu nominationes a Romano Pontifice confirmarentur. Nunc igitur Episcopos aut Romanus Pontifex constituit, aut Capitula eligunt, aut Principes nominant.

Nominatio autem regia ex gratia et privilegio Ecclesiae consistit, et Principes in Episcopis nominandis viros diligere